THESES
DE
SIGNIFICATIONIBUS COMETARUM,

QUAS
J. D. O. M.
In illuſtri Caſimiriano Saxonico,
PRÆSIDE
M. Zacharia Scheſtero,
Publici exercitii cauſa pro virili tuebitur,
GEORGIUS ARENDES, Cygnæus Megalburgenſis,
19. Decembris, horis locoq; ſolitis.

COBURGI,
Typis Caſpari Bertſchij Anno 1618.

Ampliſſo & conſultiſſo Viro D. Joh. Kreutzdio, JCto clariſſo patrono & fautori honorando u. p.

REVERENDIS, DOCTISSIMIS,
præſtantiſſimis, & diu de Eccleſia Chriſti
optimè meritis Viris,

Dn. M. JOACHIMO BANSOVIO,
Eccleſiæ Wiſmarienſis ad D. Georgii Paſtori primario, patrono & olim hoſpiti ſuo, omnibus obſervantiæ cultibus honorando,

ET

Dn. M. REINERO BROCKMANNO,
Eccleſiæ Cygneæ Paſtori vigilantiſſimo, parenti ſuo plurimùm obſervando,

Hoc exercitium Phyſicum,
In grati animi σύμβολον,
Debitæ obſervantiæ τεκμήριον,
Et ſtudiorum horum πρόδρομον,

obſervanter conſecrat

Reſpondens.

Horribili illo Cometa, qui adhuc oculos animosq; noſtros ſuſpenſos habet, commonefacti, doctrinam de effectis & præſagiis Cometarum, nuper in Phyſica Peripatetica explicatam, iterum perluſtrabimus: ut rarum hoc, & non ita uſitatum Naturæ opus, ſtudioſi adoleſcentes majori cum fructu intueantur.

THESIS I.

De Cometarum eſſentia & natura quidem magna ſemper fuit ſententiarum diverſitas: ut videri poteſt ex Ariſt. lib. 1. Meteor. C. 6. Plutarch. lib. 3. de Plac. Phil. C. 2. Plin. lib. 2. C. 25. Senec. lib. 7. Quæſt. Nat. C. 22. non tamen ita de eorum ſignificationibus.

2. *Fuerunt qui perſuadere conati ſunt, eſſe eos animas illuſtrium virorum, quæ, è terris abituræ, & in cælum reditura, ejuſmodi extremos, in ſublimi agerent triumphos.*

3. *Apparitionem eorum famem, morbos populares, bella civilia, aliasq; calamitates ſequi, quòd populi & civitates, his præſtantiſſimis viris deſtituti, jam non haberent, qui iram Numinis placarent.*

4. *Nonnulli tradidere, eos ſtellas eſſe, non earum quidem ex numero, quæ ab initio rerum ſunt factæ: ſed quæ divino juſſu, ſi aliquid ſingulare in rebus humanis eventurum ſit, conſtituantur, & rurſus diſſolvantur.*

5. *A quibus non multum diſſentire videntur, qui putant, eos, è cæleſti materia comportari à ſpiritibus, fatorum conſciis, ſi mortalibus futuri aliquid ſignificandum ſit.*

6. *Alii Planetam eſſe exiſtimârunt, ſed ab illis ſeptem diverſum, rarò conſpicuum, quòd ferè ſemper lateret ſub radiis Solis, à quo rariſſimè digrederetur.*

7. *Alii aliam ſtellam eſſe opinati ſunt: ſed talem, quæ non motum cæterarum obſervet: verùm ſecundum altitudinem & profunditatem*

tatem cœli, modò ſurſum, modò deorſum moveatur: quæq́ tum demum conſpicua nobis ſit, cùm ad inferiores ætheris partes deſcenderit.

8. Aliqui negârunt eum reale quid eſſe, aut revera habere figuram illam, quam nobis oſtendit: ſed tantùm videri habere. perinde ut iris videatur habere colores, quos tamen non habet.

9. Illiq́ pro meteoris Cometas quidem habuere: non tamen quæ ſint talia καθ' ὑπόστασιν, ſed κατ' ἔμφασιν tantùm.

10. Et ex illis quidam Planetarum inter ſe, vel cum aliis ſtellis conjunctorum σύμφασιν & radiorum conjunctionem eſſe, ſtatuerunt.

11. Perſuaſi ex ſocietate illa radiorum imaginem quandam ſtellæ longioris exiſtere.

12. Quidam verò halitum è terra elevatum in ſupremam uſq́ aëris regionem, recipientem Solis radios, & idcirco viſibilem; & tranſmittentem eos, & idcirco caudatum.

13. Alii condenſatum vel aërem, vel ætherem, quem neceſſariò ſequi oporteat ſplendorem aliquem; dilutiorem, ſi ſit aer; clariorem, ſi ſit æther.

14. In Scholis opinio Ariſtotelis adhuc recepta eſt, qui Cometam ad meteora realia & ignita refert. 1. Meteor. c. 7. docetq́ halitum eſſe incenſum, ſeu ardentem & flagrantem.

15. Halitum quidem, ſed tamen non omnem, verùm, ut loquitur, εὔχελον ἀναθυμίασιν.

16. Qualis eſt ille qui ad concipiendum, alendumq́ aliquandiu ignem rectè eſt diſpoſitus.

17. Cujuſmodi eſt lentus, viſcoſus & tenax, condenſatus & arctè compactus, pinguis & bituminoſus, metallaris & ſulphureus, cuiq́ multum ſpirituum nitroſorum inſit, quiq́ valde copioſus.

18. Quæ ſententia, cùm longe melioribus ſuffulta ſit argumentis, quàm cæteræ, jure locum adhuc obtinet; eiq́ adoleſcens ætas adhærere tutò tam diu poteſt, donec de cæteris, quantum valeant, quantumq́ juſtæ ſint, rectè ſtatuere queat.

19. Non autem mirum eſt tam varias circa unum idemq́ objectum extitiſſe opiniones.

20. Eſt

20. Eſt enim Cometa aliquid τῇ αἰσθήσει ἀφανές, 1. Meteor. cap. 7. neq; oculis diſtinctè videri, neq; manibus palpari poteſt.

21. Difficilem itaq; doctrinam & inveſtigationem habet.

22. Vbi autem eſt notitiæ difficultas, ibi etiam eſt ſententiarum diverſitas.

23. Vtut autem de Cometarum natura tam diverſas foverint opiniones: in hoc tamen conſenſère omnes, quòd ſint ſigna futurorum eventuum, eorumq; expectatione, quoties apparuère, oculos animosq; ſuſpenſos habuerunt.

24. Præſagia autem duplicia iſtis attributa ſunt: naturalia nimirum, & ſupernaturalia.

25. Naturalia eorum eventuum ſunt, quorum Cometæ ſigna ſimul ſunt, & cauſæ.

26. Eaq; clariora, vel obſcuriora, prout cauſis evidentioribus, vel minus evidentibus nituntur.

27. Clariora ſunt quæ ſumuntur à materia Cometæ, ejusq; qualitate, & quantitate.

28. Quò enim illa eſt malignior, vel minus maligna, eò effectus etiam parit magis minusve noxios.

29. Quò autem copioſior, vel paucior, eò graviores, vel minus (graves.

30. Ex incenſione ſortitur naturam ignis.

31. Aliquid igitur boni habet, & bonos quoſdam effectus.

32. Nam ignis bonus eſt, & producit effectus bonos.

33. Ardet Cometa: pabulum igitur, quo nutritur, conſumit.

34. Id verò ſunt halitus nitroſi, ac ſulphurei, in aërem elevati: ideoq; noxii, & in quibus aliquid eſt veneno ſitatis.

35. Quos dum Cometa conſumit, aërem purgat.

36. Atq; ſic avertit periculum, quod imminebat animalibus, aërem, malignis exhalationibus infectum, intra corpora attracturis.

37. Hoc ergo reſpectu boni aliquid ex Cometa prædici poteſt: & veriſimiliter admodum, ſi planè halitus iſtos conſumat.

38. Annotantq; magni nominis Aſtronomi, idq; ex hiſtoriis confirmant,

firmant, aëris ſerenitatem ac temperiem, agrorumq́; fertilitatem Cometas fuiſſe inſecutas.

39. *Nihilominus tamen ſigna eſſe poſſunt rerum triſtium, & iræ divinæ, ratione ſupernaturalis præſagii.*

40. *Neq; n. & Iris deſinit eſſe ſignum gratiæ divinæ, quantumvis nonnunquam mala, ut prodigioſas & valde noxias pluvias, denunciet.*

41. *Veruntamen & boni iſti Cometarum effectus valde rari ſunt.*

42. *Valde enim rari ſunt halitus, ex quib. conſtant minus maligni.*

43. *Valde etiam rarò ignis iſte cometalis tam validus eſt, ut materiam malignam penitus abſumat.*

44. *Plerumq; enim, poſt extinctum Cometam, plurimum adhuc noxiorum halituum, qui abſumi non potuerunt, relinquitur.*

45. *Ad minimum illi, qui ex materia cometali incenſa expirant.*

46. *Et illi etiam, qui ex eadem extincta oriuntur, & per aërem diſſipantur.*

47. *Non minus enim quàm candela ſebacea, cum extinguitur, fætentes & noxios halitus relinquit.*

48. *Vnde fit, ut longè ſæpius effectus producat noxios quàm ſalutares; peneq́; univerſaliter dici poſſit, ex omnibus Cometis mali aliquid metuendum eſſe.*

49. *Id quod etiam aſſerit Cic. lib. 2. de N. D. cum inquit: ab ultima antiquitatis memoria notatum eſt, Cometas ſemper calamitatum prænuncios fuiſſe.*

50. *Et Claudianus quoq;, qui negat, terris unquam ſpectatum impune cometam: vulgatusq́; eſt ille Senarius,* οὐδεὶς κομήτης, ὅϛις οὐ κακὸν φέρει.

51. *Mala igitur, quæ ex Cometis exiſtere ſolent, ſunt partim* ὑπερβολὴ τοῦ πνεύματος, ἢ κατὰ χρόνον, ἢ κατὰ μέγεθος; *exceſſus ventorum vel ratione temporis, vel ratione magnitudinis: partim* αὐχμοὶ, *ſiccitates & æſtus aëris. 1. Meteor. c. 7.*

52. *Quæq; alia ſiccis exhalationib. & æſtui aëris originem debent, ut tempeſtates maris, terræ mot⁹, ſterilitas, morbi populares & acuti &c.*

53. *Halitus enim ſicci in altum elevati, cum non abſumuntur, ventorum materia fiunt.*

54. Et ipſe etiam Cometa dum ardet, flatus ea parte, qua caudam aut comam emittit, exhalans, non parum conturbat aërem.

55. Sunt enim in ipſius corpore multæ difformes & flatuoſæ partes, quæ accenſæ, qua parte exitum habent, cum impetu erumpunt: quale quid in pyrobolide, aut globis ignitis arte factis, cernitur.

56. Exhalationes etiam vi caloris attractæ, & fruſtra exitum quærentes, atq; exaſperatæ, terram tandem concutiunt: unde terræmotus ſignificationem aliquam Cometæ habent.

57. Siccitates autem generant iidem, cum ſint incendia, de halitibus ſiccis & exardeſcentibus, excitata: unde aërem incaleſcere & ſiccum fieri neceſſe eſt.

58. Id quod tamen in iis potiſſimum evenit, quibus Planeta calidus & ſiccus dominatur.

59. Alioqui multitudo caloris, attrahens multos vapores, nec valens eos diſſolvere, aquas & imbres generat.

60. Æſtum porrò aëris, & nitroſos in eo fumos à Cometa ſparſos agrorum ſterilitas ſequitur: & hanc ferè fames.

61. Peſtis etiam & alii morbi contagioſi ac lethales: quod halitus nitroſi & venenati, acrimonia ſua, animalium, præcipuè autem hominum, corpora ad ejuſmodi morbos diſponant.

62. Et hæc ſunt præſagia Cometarum naturalia, & evidentiora: quæ ipſa tamen non omnimodam habent neceſſitatem: magnam verò probabilitatem.

63. Nec propterea hi effectus nulli ſunt, quòd Cometas non ſtatim in ſemper ſequantur. Hiſtoriæ enim teſtantur, quòd interdum primo, interdum altero demum anno eos ſint inſecuti.

64. Annus igitur unus & alter, ubi Cometa apparuit, ſuſpectus habendus eſt: quod etiam monet Seneca lib. 7. natural. quæſt. C. 28.

65. Quod ſi Cometæ diu fulgeant, diuturniorem etiam eorum effectum futurum verò non abſimile eſt.

66. Obſcuriora præſagia ſunt, quæ ſumuntur ex cauſis nimis remotis & infirmis.

67. Cujus-

67. Cujuſmodi ſunt quod iras graves, rixas, tumultus & bella excitent: eò quòd humores in corporibus humanis ad calidam & ſiccam intemperiem diſponant, bilemq́; augeant.

68. Quod Regum & Principum morbos & mortem ſignificent: quòd hi alioqui maximè ſint biliosi: & quia ex eorum obitu ferè ſequuntur mutationes imperiorum, bella, & alia mala publica: ideoq́; ſigna etiam ſint mutationis imperiorum.

69. Quæ omnia & hujus generis alia, ſi quando eveniunt, ad ſupernaturalia potius præſagia, quàm ad naturalia referenda erunt.

70. Si enim bella à copia bilis dependerent, non opus eſſet de iis ſedandis multas conſultationes inſtituere: ad medicos confugiendum eſſet: qui propinatis medicamentis bella tollerent, eorumq́; cauſas radicitùs è Regum & Principum corporibus evellerent.

71. Nec apparet ſufficiens ratio, cur à Cometis Principum magis quàm aliorum corpora lethalibus morbis imbuantur.

72. Incertiora adhuc longè ſunt, ea præſagia, quæ Aſtrologica dicuntur.

73. Extruuntur enim non ſolùm ex cauſis univerſalibus, remotioribus & contingentibus: ſed etiam ex nondum ſatis exploratis, incertiſſimisq́; principiis.

74. Præſagia ſupernaturalia ſumuntur ex eo, quòd Cometa exiſtimetur ſignum eſſe à Deo conſtitutum, ad ſignificandas certis populis & regionibus pœnas.

75. Vt enim iris eſt ſignum gratiæ divinæ, ita illum ſignum eſſe iræ divinæ, omnium temporum annotatis & documentis probatur: præſertim autem ſi grandior ſit, & diutius duret.

76. Triſtes igitur habent ſignificationes. quales autem cujusq́; in ſpecie ſint, non ita facilè determinari poteſt.

77. Rariores enim ſunt, & alii alia ſubinde mala denunciárunt.

78. Noſter hic pallidus, & adeò prolixè barbatus, qui à Mercurio (ut videtur) in Scorpione, non longè ab Æquatore, accenſus, Solis ortum primùm antecedens, pòſt, per Booten progreſſus, nunc extremam in cauda urſæ majoris propè attingit, minetur, id certò is novit, qui futurorum contingentium veritatem ſibi ſolus reſervavit.

79. Adoleſcentes autem ne exiſtiment illum iis tantùm minari, qui longas barbas alunt; ut olim Veſpaſianus, cum ipſi monſtratus eſſet Cometa, per jocum dixiſſe, à Suetonio ſcribitur, pertinere hoc prodigium ad Regem Parthorum, qui prolixam comam aleret, qui paulò pòſt extinctus, ſuo exemplo docuit, ſecuritate pœnas divinas feſtinare & exaſperari.

80. Timeamus igitur non ipſum Cometam, ſed Conditorem hujus Cometæ, & agnoſcamus ejus iram ſimul, & miſericordiam, qui virgam monſtrat antequam cædat: deprecemur pœnam, agamus pœnitentiam, emendemus vitam.

FINIS.